

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt



164
Contar Breyen dff. de euro c' ariphine
primissi pro altero facti

1718 19

152.

ORDINIS JVRIDICI
VITEMBERGENSIS
p. t. DECANVS
**JO. BALTHASAR
WERNHER, JC.**

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE
ATQVE JVSTITIAE, ORDINARIVS ACADEMIAE,
ET ANTECESSOR PRIMARIUS

ETC.

LECTORI

S. D.

O S I N S A U D I C
P E D G A L I A
O P A L I A
A R B I N H E R T
P O L I T I C S M O P O
E T E L C O N F I Z O N E
A T T O V E N T U R E
E T A N I C K S O S T O M P T



Dum Nobilissimus Candidatus noster in publicum prodire, atque de *Actione ex pacto moribus data* Speciminis Inauguralis, quod vocant, loco, disputare constituit, redeunt in memoriam, quæ olim de hoc arguento scripsi, sigillatimque illa, quæ inter me, & B. BEYERUM, Collegam, dum viveret, mihi conjunctissimum, acta sunt. Habuerat Ille Disputationem Publicam de *Jure ex acceptatione promissi pro altero facta*; in qua id egerat, ut ostenderet, eum, qui tertio promittat, se alteri aliquid daturum, nec hodie obligari, sed revocare promissionem tamdiu posse, quoad alter eandem acceptaverit. Neque tali casu inter promissorem, & eum, cui fiat promissio, negotium, quod obligationem pariat, aut poenitentiam impedit, contrahi. Factum autem

autem est, ut, quum semel iterumque hujusmodi
casus in ipso rerum actu Collegio nostro, BEYERO
præsente, offerretur, mecum reliqui omnes in
contrariam sententiam irent, &, acceptatione li-
cet alterius nondum secuta, poenitendi facultatem
promissori, invito tertio, cui facta esset promissio,
haud competere, concordibus suffragiis pronun-
ciarent. Cujus sententiæ nostræ rationes & funda-
menta ex instituto postea, peculiari programmatae
edito, aperui, atque ita luculenter persecutus sum,
ut nihil BEYERUS reponeret, sed in illis acquiescere
videretur. Atenimvero quum postea suas ad *In-
stit. atque Pand. Positiones* denuo, Notis illustratas,
in lucem emitteret, ejus, quæ inter nos intercesserat
circa hoc juris argumentum, litis mentionem ad
tit. I. d. *Inutil. stipul. pos.* 8. *Not. e.* ita injecerat,
ut in sua quidem sententia persisteret, & pauca
quædam responderet, sed & simul, alendis con-
tentionibus omnem occasionem subtrahendam
esse, ostenderet. Quocirca nihil causæ erat, cur
de mea sententia, pluribus firmando, laborarem;
præsertim cum ex illo tempore, quoties in Col-
legio nostro hujusmodi casus eveniret, eveniebat
autem sèpius, juxta illam responsum & judicatum
fuerit. Nunc vero, cum omnes dissidii causæ
procul sint, nemini ingratum fore, puto, si, tam
com-

commoda occasione oblata, sententiae illius meæ,
quam Ordo noster constanti judicio retinuit, fun-
damenta pluribus explicem, simulque eandem a
dubiis & objectionibus BEYERIANIS liberem.
Nempe quando quis, se alteri daturum, tertio
promittit, manifeste duplex negotium occurrit.
Unum respicit eum, in quem aliquid conferri de-
bet, quod tamdiu imperfectum, nec obligatorium,
esse intelligitur, quamdiu hic factam promissionem
nondum acceptavit. Quia utique ad producen-
dam obligationem requiritur, ut utriusque, &
promittentis, & ejus, qui ex promissione aliquid
acquirere debet, consensus conjungatur. Ut pro-
inde jus agendi non prius, quam facta acceptatio-
ne, habeat. Alterum vero negotium inter pro-
missorem & tertium, cui promittitur, intercedit.
Quod utique pactum seu perfecta conuentio est;
ubi quis in tertium consert vim, efficiendi, ut al-
ter jus aliquod in posterum, accedente nimirum
acceptatione, acquirat. Hæc vis efficiendi, in ter-
tium, mediante pacto, collata, eidem eripi invito
nequit; ubi vero is consentit, dubitandum haud
est, posse utrumque, si alterius, cuius utilitatem
pactum respiciebat, consensus nondum accesser-
it, ab illo recedere, eoque omnem ejus vim at-
que effectum infringere. Hæc rationi & juri

Naturali maxime consentanea esse puto, tantique
ponderis Incomparabili Viro, HUGONI GROTI,
visa sunt, ut in Tr. d. J. B. & P. L. II. c. XI. §. 18.
in eandem sententiam sine difficultate concederet;
cum ait: *interesse, an mihi facta sit promissio de re danda alteri, an promissio in ipsius nomen collata sit, cui res danda est;* Priori casu videri naturaliter mibi accipienti jus dari efficiendi, ut ad alterum jus perveniat, si & is acceptet; ita ut medio tempore a promissore promissio revocari non possit; sed ego, cui facta est promissio, eam possum remittere. Urget B. BEYERUS cit. Diff. §. 8. seqq. Officia humanitatis & beneficia ad jus perfectum referri non posse, neque hujus naturam jus imperfectum induere, nisi propter legem positivam Civilem, extremam necessitatem, & promissionem seu pactum. Hoc vero requirere minimum duorum consensum. Atqui etiam tum, quando tertio alicui fit promissio, de re alteri danda, duorum consensus adeat; promissoris, & ejus, cui in alterius favorem aliquid promittitur. Hic utique vinculum, mediante acceptatione, apprehendit, neque ante illam quicquam de libertate voluntatis nostræ decedit. Sed & illud verum est, quod animus utcunque declaratus id non operetur, ut ei, qui promissum nondum acceptavit, jus

jus perfectum & media implementum a promittente extorquendi tribuantur. Enimvero declaratio animi non *ut cunque facta censeri* debet, ubi quis serio atque deliberato animo in alterum acceptantem jus transfert, efficiendi, ut jus aliquod ad tertium, si & is acceptaverit, perveniat. Neque hoc casu tertius, in quem utilitas factae promissoris redundat, jus perfectum prius, quam illam acceptaverit, consequitur; Habet vero alter, cui facta est promissio, id juris, ut impedire poenitentiam promittentis queat. Nihil itaque ad rem facit, *quod ex promisso jus nasci debeat ei, in cuius persona implendum est, eoque ejus acceptatio requiratur.* Utique enim necessaria illa est, si is fructu promissionis potiri, & jus aliquod agendi nancisci velit. Non autem illa opus est ad hoc, ut revocandi facultas promissori pereat; quam per fidem tertio datam, ab eodemque acceptata, statim ita amisit, ut, hoc invito, a promissione recedere haud queat. Quod vero subjicit BEYERUS, *tertium tum demum valide acceptare, quando illius voluntas pro hujus voluntate haberi mereatur; at non mereri, nisi constet, eum, quem promissum respicit, voluntatem suam in ejusmodi negotiis arbitrio acceptantis attemperasse;* aut *nisi leges publicae, ut voluntas certarum personarum*

sonarum pro voluntate aliorum, qui rebus suis præ-
esse non possunt, habeatur, jubeant; non aliter ad-
mitti potest, quam si talem acceptationem tertii
supponas, per quam statim in alterum, pro quo
acceptat, jus aliquod transferri debet. Ad hoc
vero, ut tertius sibi ex pacto facultatem acquirat,
efficiendi, ut in alterum, si & is postea acceptet, jus
transeat, necessum haud est, ut ejus voluntas pro
alterius voluntate habeatur; sed quisque alterius
commoda paciscendo promovere potest. Rege-
rit laudatus ICrus, sat utiliter geri aliorum nego-
tia, si patrimonium ipsorum conservetur; ut ab
aliis augeatur, & iis quidem modis, qui indoli pa-
ctorum non respondent, ad conservandam generis
humani societatem, necesse non esse. Atenimve-
ro distinctæ quæstiones sunt, quæ inter se permi-
sceri non debent. Aliud est, si quæras, an quis
teneatur ultiro & sine mandato patrimonium alte-
rius paciscendo augere, quod recte negatur; &
rursus aliud, si quæratur, an is, qui alteri accep-
ptanti promisit, se terrio daturum, illi ex pacto
obligetur, ad eum effectum, ut, ipso nolente, pœni-
tere nequeat? Quod nos contendimus; neque hoc
indoli pactorum repugnat; sed eidem vel maxime
consentaneum est, ut quis promisis stet, & fidem
datam impleat. Objicitur, recte rationis hoc
dicta-

dictamen esse, ut nemo, nisi cuius interest, libe-
ro alterius arbitrio frenum injicere possit. Quod
facile largimur; sed mea utique interest, ut al-
ter per me beneficium acquirat, eoque mihi ar-
etius devinciatur. Quamvis enim obligatio ad
gratitudinem declarandam perfecta haud sit,
nec actio ingrati, quam aliqui fingunt, ullo ju-
re locum habeat, vel sola tamen *spes juris im-*
perfecti sufficit, ut mea intersit, alterius com-
moda per me, sine aliquo meo damno, insigni-
ter augeri. Et qua, quæso, fronte mihi pro-
missor exceptionem, *Quid ad Te? Tua nihil*
interest, objiciat, cum is stipulanti mihi in al-
terius utilitatem annuendo fidemque dando jam
satis declarasse censeri debeat, quod generale
interesse, ut vocant, alterum per me beneficio
affici, pro sufficienti habeat, & nihil amplius
requirat. Alias enim prorsus inutile atque
frustraneum erat, mihi promitti, mihi fidem
dari, si in nihilum redire, nullamque vim obli-
gandi habere promissio deberet. Igitur initio
quidem, ubi alter a me in tertii commodum
stipulatur, occinere eidem quo: *Si vis alte-*
rum tibi ad gratitudinem obligari, de tuo esto
liberalis; sed quando eidem, me ipsi gratifica-

turum, & tertio daturum esse, promisi, incas-
sum tali objectione utor; sed mihi potius ob-
jici potest vulgata pactorum regula, *quod ab*
initio voluntatis erat, ex postfacto necessitatis
fieri. Verum est, quod libertas voluntatis
inter bona hujus seculi in primis emineat; sed
ad ejus favorem frustra provocat, qui ultro
sibi frenum paciscendo injicit; cum a promit-
tendo abstinere, & libertatem integrum serva-
re posset. Minime vero huc quadrant ea,
quaे in l. 19. ff. *Ad Exhib.* habentur: *Non oportere jura calumniari, neque verba captare,*
sed qua mente quid dispositum sit, animadver-
tere convenire; nam illa ratione etiam stu-
diosum alicujus doctrinæ posse dicere, *SUA*
INTERESSE, illos aut illos libros sibi ex-
hiberi; *quia, si essent exhibiti, cum illos le-*
gisset, doctior & melior futurus esset. Hic
enim Studiosus nullum jus ex pacto, vel pro-
missione, quæsitum allegare potest; quod in
eo, in quo nos versamur, casu, secus est. Ad
exempla ex foederibus publicis inter populos
repetita, BEYERUS *Pos. ad tit. F. d. Inutil. Stip.*
regerit, illa tamdiu nihil evincere, donec o-
stendi possit, nec quicquam interfuisse acce-
ptanti-

ptantium. Atqui onus probandi affirman-
ti, non illi, qui negat, incumbit. Scripse-
ram præterea, ad demonstrandum, quod ac-
quiri possit facultas efficiendi, ut ad alterum
jus perveniat, opus non esse, ut ad multas ra-
tiones configiamus, aut ad caritatem proxi-
mi, & bonum publicum, aliasque rationes pro-
vocemus; sed id solum sufficere, quod Jure N.
haud sit prohibitum; quod qui afferit, huic in-
cumberet, ejusmodi pactionis necessariam cum
societatis humanæ nexu disconvenientiam de-
monstrare. Ad quæ BEYERUS c. l. reponit,
non negligendam esse distinctionem, inter actus
Lege N. prohibitos, ratione quorum omnino
necessaria cum societatis humanæ nexu, dis-
convenientia demonstrari debeat; & inter a-
ctus non illicitos, sed irritos & inefficaces.
Quæ distinctio in se quidem improbari ne-
quit; sed in præsenti argumento male appli-
catur. Quicquid enim non est prohibitum
lege Naturali, sed licitum, id etiam valide
objectum conventionis fieri potest. Talis
vero est facultas efficiendi, ut ad alterum jus
perveniat. Quo minus enim hæc pacto in
alterum transferatur, nihil omnino obstat,

sed hoc & licite, & valide fieri posse, abunde demonstratum est. Subjicit denique libertatis encomia BEYERUS, & addit; nullam æquitatis rationem velle, ut frustra & sine acceptantis emolumento, alterius voluntas constringatur; summum enim in hac mortalitate bonum, quoque in primis homo bruis antecellat, voluntatem liberam, non nisi urgente aliqua necessitate coarctandam esse; quæ ex eo solum, ut quis se liberalem ex alienis bonis exhibeat, nondum sufficienter colligatur. Ad quæ ex communi ratione & indole pactorum facile responderi potest. Quod enim libertas promissoris constringitur, eidemque nunc onus subeundum, quod initio declinare poterat, id ex propria ipsius voluntate est; quia in illud ultro consensit, suoque facto sibi arcessivit, quod declinare, penes ipsum fuerat. Quod Jus Civile attinet, nemo negat, eo Jure acceptationem pro altero factam tali casu inanem esse. Idque propter generalem, quæ invaluit, regulam, quod alteri per alterum, suo juri haud subjectum, nulla obligatio vel actio acquiri possit. §. 4. *J. de Inutil. stipulat.* §. 18. *J. eod. L. II. ff. d. O. & A.* Largimur etiam,

etiam, hanc legum dispositionem non ad sola
stipulationis solennia restringi posse, sed gene-
raliter ad omnes contractus, aliaque negotia,
pertinere. Add. l. 37. §. 4. d. R. J. Sed & illud
fateamur oportet, meram hanc Juris Romani
subtilitatem esse, quæ a simplicitate naturali, ut
ostendimus, abhorret, eoque a Germanis nun-
quam recepta fuit. Imo constat, hos in tota
pactorum materia semper ductum æquitatis na-
turalis potius, quam tricas Juris Civilis, secutos
esse. Quamvis etiam hoc successu temporis
varia temperamenta invenerit, quibus regulæ
superius traditæ rigorem emolliret; de quibus
ipse BEYERUS cit. Diff. §. 16. seqq. pluribus agit.
Sed nec de eo, quid Jus Canonicum in hoc ar-
gumento statuat, magnopere laborandum erit;
quippe quod non magis, quam Jus Quiritum,
in æstimanda pactorum validitate, normam Ger-
manis præscribere potest. Apud hos, fidem
fallere, semper grave, homineque indignum est
habitum. Ex his Germanorum institutis, de
quibus mira, & quæ vix fidem inveniant, com-
memorat TACITUS d. Mor. Germ. c. 24. & sim-
plicitate Juris Naturalis, de vi & robore pacto-
rum, judicium ferri oportet. Puto autem ve-
rum

rum esse, quod SIMON van LEEUWEN *Cens.*
For. P. 1. L. 4. c. 16. n. 8. ait, neminem præsumi
hodie stipulari, nisi & sua intersit. Intellige
saltem generaliter. Ut enim speciatim seu pe-
culiariter, ut loquuntur, stipulantis intersit, id
non ex lege Naturali est, ut ostendimus; ne-
que adeo hodie locum habere debet. Auto-
res, quos BEYERUS *c. 1. §. 27. seqq.* resellit, mi-
nus recte observasse videntur duplicum respe-
ctum, quem supra indicavimus; quod nempe
promissio, in utilitatem alterius a tertio accep-
ptata, huic quidem jus pœnitentiam promitten-
tis impediendi tribuat; sed ille agere non prius
queat, quam si ipsius etiam acceptatio, re in-
tegra, secura fuerit. Egit pluribus de obli-
gatione & actione, quæ ex pacto oritur, in
Dissertatione sua Inaugurali Nobilissimus Can-
didatus Noster, CHRISTOPHORUS
GOTTLIEB VVENZEL, qui A.
M DC XCIV. *Dresdæ*, honestissimis Paren-
tibus, natus, ubi ad eam ætatem pervenit,
quæ literis imbui solet, primo in patria Præ-
ceptoribus fidelissimis, FRENZELIO, LEM-
PIO, GELLIO, & GELENIO, tum vero Num-
burgi BLOSSIO, Rectori, in disciplinam tradi-
tus,


tus, ita profecit, ut A. MDCC XII. dignus
iudicaretur, qui Academiam Lipsiensem ad-
iret. In hac initium studiorum a Philosophia,
ut par est, fecit; Ducibus præstantissimis,
OLEARIO, & utroque **MULLERO**, **FRIDE-**
RICO AVGUSTO, & **POLYCARPO**, usus.
Juris disciplinam ingressus, Viros Celeberri-
mos, Excellentissimosque, **MENCKENIOS**,
PHILIPPOS, **SCHACHEROS**, **OLEARIOS**,
RECHENBERGIOS, **RIVINOS**, pluresque
alios, quanta potuit, diligentia audivit,
brevique tempore insignes in utroque Ju-
re progresiones fecit. Absoluto felici-
ter studiorum curriculo, antequam ex A-
cademia discederet, non tantum, Præside
Consulstisimo **HILLIGERO**, *de pecunia*
statim perdituro credita, publice disputa-
vit, sed & Examen subiit, quod ex Lege
Electorali Saxonica illis sustinendum est,
qui causas in foro orare cupiunt; in eo-
que sic stetit, ut ad Praxin judiciariam,
quam vocant, exercendam sine difficultate
admitteretur. Initio operam illi in patria
dedit, sed mox *Martisburgum* se contulit; ubi
in numerum Advocatorum Ordinariorum

Regi-

Regiminis superiori anno receptus , res suas tam felici successu hactenus egit , ut Patronos suos , hujus , de loco commutando , consilii auctores , maximopere deprædicet , & jam summos in utroque Jure honores modeste ambiat . Ad utrumque Examen a Collegio nostro admissus unanimi consensu dignus est visus , cui ad ulteriora Specimina aditus fieret . Cras , Deo volente , Dissertationem Inauguralem de argum ento , superius commemorato , Præside Excellentissimo JCto , GEBHARDO CHRISTIANO BASTINELLERO , Pandect . P. P. publice ventilandam proponet . Cui actui solenni ut Magnificus PRO-RECTOR , Illustrissimi COMITES , Proceres Academiæ , & omnes , qui studiorum causa hic degunt , interesse ne graventur , majorem in modum rogo atque contend o . Ordo Noster , data occasione , nihil prætermittet eorum , quæ ad ipsius officia , studiaque mutuo declaranda pertinere videbuntur . P. P. Vitembergæ Dominica XXIII. p. Trinit .

A. M DCC XVIII.

LITERIS GERDESIANIS.



ULB Halle
005 708 540

3



Farbkarte #13



B.I.G.

Contra Beyeri Diff. de euro et auro
primis pro altero facti

1718

19

152.

ORDINIS JVRIDICI
VITEMBERGENSIS
p. t. DECANVS
JO. BALTHASAR WERNHER, JC.
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE
ATQVE JVSTITIAE, ORDINARIVS ACADEMIAE,
ET ANTECESSOR PRIMARIVS

ETC.

LECTORI

S. D.

